QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VII.

DE ABSOLUTIONE

Orationibus funebribus expletis, prouti alibi expositum est, ad Absolutionem deventum fuit, super qua plura notata fuerunt a quodam Caeremoniarum magistro alterius Ecclesiae, qui illi interfuit. Augustinus enim, ut meliori quo poterat modo Caroli animae suffragaretur, Abbatem quemdam monachorum, illa in civitate rusticandi causa degentem, pro Absolutione invitaverat, qui revera super castro doloris illam pontificaliter persolvit. Sed praeterea notatum fuit, cenotaphium ita fuisse dispositum, ac si praesens esset cadaver, caput enim versus altare, pedes autem erant versus Ecclesiae ianuam. At officium faciens, seu Abbas, et Crucifer ea se ratione disposuerant, ac si laici cadaver fuisset, nempe Crucifer inter tumulum et ianuam, Abbas vero inter tumulum et altare. Insuper oratio *Non intres*, cum absens esset cadaver omissa fuit ; sed statim, sedentibus omnibus de clero, cantores musicali concentu cantum *Libera* modulati fuerunt. Denique, antequam reverterentur in sacrarium, etiam *In Paradisum* cecinere musici, quam-

vis ad coemeterium iam fuisset cadaver delatum sepultumque. Quae fere omnia mussitandi causam dedere praefato Caeremoniarum magistro : qui proinde animum diligentiori studio adiiciens *inquirit :*

1. *Unde Absolutionis super cadavere nomen et origo, et cuinam ius et onus competat illius persolvendae, cuique sit vetitum ?*

2. *Quomodo cenotaphium sit disponendum , et quinam sit locus facientis officium atque Cruciferi , tum praesente tum absente cadavere, iuxta Ritualis normam ?*

3. *Quid de reliquis, peculiariter de Absolutione Abbatis, qui Missam non celebravit, prouti fert casus ?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Iosephi Aloisii d'Adamo e Scholasticis magni Lycei Gregoriani de Urbe, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 21 Martii 1900 : acta Epitome per R.mum Dom. Carolum Respighi e Caeremoniarum Apostolicarum Magistris.

Quaerit primum dulium : I. Unde Absolutionis super cadavere nomen et origo, et cuinam ius et onus competat illius persolvendae, cuique sit vetitum ?

Nullum tam dulce ac praepotens humani cordis in luctu solatium, nullum adeo universale, frequens, atque eloquens inter anxietates confugium quam in cordis affectu piissimo erga defunctos. Huius profecto veritatis omnium populorum usus suadet et ratio. Nam ethnici ipsi solemnibus cum caeremoniis, fletuque magno, mortuorum suorum funera ducebant : veteres

cultores Numinum defunctis, in morte, sacrificio offerebant ; suavibus odoribus imbuebant ac balsamis eorum corpora, igni demum tradenda : ipsimet barbari homines multipliciter semper defunctorum exuvias peculiari honore prosequebantur.

Prae ceteris autem speciali quodam cultu mortuos afficientes emicuerunt Hebraei, pro quibus *sancta et salubris cogitatio* erat *exorare pro defunctis*.

Ast christiana fides humana ad divina transferens, mirabiliter huius pii sensus in mortuos defectus emendans, illum evexit ad mutuam plenissimamque amoris animorum coniunctionem, in spem futurae resurrectionis roboratam, et supernaturali caritate munitam.

A primo igitur tempore quo nostra fides per mundi plagas diffusa est, christifideles hunc erga mortuos affectum testari ceperunt sacris ritibus, Altaris Sacrificium in requiem eorum offerentes, in dypticis Canonis Missae eorum nomina quotidie memorantes, diem quemdam in memoriam omnium eorum statuentes, pluraque alia agentes. Vix aliquis ex eis supremum agebat diem, preces canendo, eum abluebant ; aromatibus illiniebant, albique coloris indutum ducebant in Ecclesiam cognati, parentes ac fratres in fide, psalmos ac hymnos modulando, facibus accensis. Saepe saepius, praecipue vero si defunctus obiisset martyr, funus agebant uti triumphum, quemadmodum de funere S. Cypriani fertur « *cum cereis et scolacibus cum voto et triumpho magno* ».

In Ecclesia ipsi Sacrum operabantur in defuncti suffragium, quod Isidorus apostolicae consuetudinis docet, et Cyprianus *sacrificium pro dormitione* nuncupat, tardius autem in Sacramentario Gelasiano *Missa pro depositione* appellatur. Tumulatione absoluta, imo et ante ipsam, nonnullae recitabantur preces, quas aliae concludebant et praecipue extrema salutatio, seu *vale*, cuius cl. De Rossi formulam de-

texit in divi Silvani cryptae epitaphio ad coemeterium Callisti : **In pace spiritus Silvani.** Amen *(Roma sotter. II. p. 304, 305, III. p. 497)*. Complexus precum super feretrum **depositionis officia pia** nuncupabantur, uti cl. Muratori fidem facit *(Liturg. Rom. vetus p. 740-571)*, quae successu temporis ad tertiam, septimam ac trigesimam diem extensae fuerunt.

Has autem, uti solet accidere, aliquantum postea confusas incertasque traditio quaedam ad disciplinam redegit, de qua plura habentur testimonia, uti Chrysostomus *(In Act. Apost. homil. 21, n. 5)*, Cyrillus in Catech. *(Homil. 69 ad pop. Antioch.)*, Augustinus *(Serm. 172)*, aliique Patres. Qui tamen preces memorant, ritus, Sacrificium ; sed ne verbum quidem exhibent de vocabulo praesenti **Absolutio,** cuius in sola peccatorum remissione usus erat, nunquam autem ad extrema erga mortuos pietatis officia significanda. Praeclara tamen inter utrumque actum absolvendi peccatores et valedicendi defuncto relatio intercedit, quatenus in illo Deus peccata remittit, in isto ut peccata remittantur exorant Deum homines ; hinc et communis ad duos exprimendos diversos actus eiusdem verbi acceptio. Ceterum et a liturgica Oratione *Absolve Domine animam famuli tui* praefatum vocabulum desumi potuit, quae nihilominus eamdem, de qua superius, analogiam nequaquam excludit.

Quidquid tamen sit origine huiusce nominis, super qua aliud certi dicere nequimus, exploratum est Absolutionis nomen fuisse attributum antiquitus illis ultimis pietatis officiis, quae super cadavere extrema vice persolvuntur. Cl. namque Martene *(De ant. Monach. ritib. Lib. V, col. n. 84)* refert : « Veteres monachos, ut primum aliquis frater obierat, statim eum **absolvisse,** et eius animam Deo commendasse ». Et paulo ante referens Rubricam Breviarii Benedicti Casale *(Loc. cit, n. 78)* scribit : « Post haec, Sacerdote praecedente, exeuntes de Ecclesia convenimus in clau-

strum, ibique Prior . . . . sequentem facit deprecationem : *Dominus vobiscum. Oremus :* **Absolve,** *Domine, animam famuli tui etc.* ». Haec autem Oratio *Absolve* iisdem constat verbis, ac in Rituali Romano Card. S. Severinae, qui totum actum funebrem *officium sepulturae* nuncupat.

Paulo post **Absolutionis** nomen et ritum induxit Paulus V in praesenti Rituali Romano, et in Missali S. Pius V; sumptumque est et iudicandum uti complexum illum rituum ac caeremoniarum, quae extremum pietatis officium in defunctum perficiunt. Absolutionis huiusce finis est, a divina largitate consequi, ut filius Ecclesiae a vinculis peccatorum absolvatur et in pace requiescat. Nota peculiaris Absolutionis est aquae lustralis usus et thuris, ut significetur, defunctum in Christi fide suffragiorum Ecclesiae participem fieri. Hinc praedicta aqua aspergitur velut in refrigerium, et per orationis dominicae formulam, quae illi coniungitur, uti et per se ipsam, uberes aspersio nata est fructus spiritales gignere per modum impetrationis. Quod et per thuris adhibitionem obtinetur, quippe quae seu ad sacrum christiani corpus honore habendum adhibetur, seu ad bonum virtutis odorem significandum, quem vivens redoluit.

Absolutionis minister est Celebrans, cui ius inest et officium illius peragendae. Clarior vix esse potest Rubrica Ritualis : « Finita Missa, Sacerdos, deposita casula et manipulo, accipit pluviale nigri coloris etc. (*Tit. VI, Cap. 3, n. 7*) : » quae verba fere litteraliter et Missale refert. Hinc abunde patet a Sacerdote eodem Absolutionem esse agendam, qui antea Missam celebravit; exuere enim se debet casula et manipulo, quibus paramentis pro Missa erat indutus. Ipsemet ergo, et non alius ad Absolutionem agendam debet, iuxta Rituale et Missale, pluviale assumere. Ratio huiusce dispositionis est, quia Absolutio, quamvis a Missa dividi *per se* possit, nihilominus

uti Appendix illius, si fiat, considerari debet, adeo ut qui Missam facit, debeat et Absolutionem facere.

Animadvertendum tamen evenire posse, ut legitimus in Ecclesia sua Superior iurisdictione fruens, qui fecit Missam, alii inferiori subdito suo Absolutionem committat. Hoc autem rite et legitime fieri tenendum est ex nota regula: qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Verum ius istud soli competere potest Episcopo Ordinario, cum ipse solus in Ecclesiis suis ordinaria iurisdictione polleat. Haec autem declarat quoque et confirmat Decretum sequens: « Num post Missam in die obitus alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere possit ad Absolutionem peragendam? » Responsum autem fuit: « Negative; et ex Decretis hoc iure gaudere tantum Episcopum Ordinarium (*Briocen*, 12 Aug. 1854, n. **3029** (5208) n. X) ». Veritas confirmatur ulterius ex alio novissimo Decreto in recenti Collectione inserto, d. d. 9 Maii 1893, num. **3798**: « Num Episcopo Titulari et nulla iurisdictione gaudenti ius competat, quemadmodum Dioecesano . . . . Absolutionem facere ad tumulum, quin Missam ipsemet decantet? » Et S. R. respondit: « Negative ».

Insuper notandum, aliud extitisse Decretum, quod Episcopo Gratianopolitano, Coadiutori cum futura successione permittebat, in casu tamen, Absolutionem agere, quin prius Missam cecinisset; sed e nova Collectione deletum est aequivocationis vitandae causa. Erat autem Decretum in *Mariancpolitana*, 4 Sept. 1875, n. 5625. Sed et alterum extitit Decretum, hoc est in *Baionen.* d. d. 25 Sept. 1875 ad VII, quod *congruum* solummodo dicebat ab eodem Sacerdote Absolutionem fieri, qui Missam prius decantavit; et hoc quoque, eadem de causa, e praesenti Collectione exulavit.

Inferes, iure praesenti, saltem, inspecto, uti et antiquo probe perpenso, neminem, neque Episcopum,

posse licite Absolutionem facere ad tumulum, nisi Missam antea pro defuncto celebraverit, Ordinario Episcopo tantum excepto, cui id potestatis inhaeret. Hinc sequitur doctrinam oppositam, quam plures auctores tradunt, etsi quod praeteritum attinet excusari ea possit, amplius impraesenti teneri non posse, multoque minus in praxim deduci.

II. Quaeritur quomodo disponendum sit cenotaphium, et quinam sit locus facientis officium et Cruciferi, tam praesente quam absente cadavere, iuxta Rituale Romanum ?

Solemne habuerunt veteres funerea peragere officia super cadaveribus. At intensiori pietatis affectui, quo Christifideles maximopere afficiebantur, id satis non fuit. Hinc paullo post ceptum est aliis quoque diebus, extra diem mortis, memorare defunctos. Hinc, praeter dypticos, in quibus quotidie erat memoria illorum praesens, diem tertium ab obitu selegerunt, et anniversarium, uti ex Tertulliano constat *(Lib. De Monogam.)*: quod ceterum ipsimet pagani agebant, testantibus Platone *(4 de leg.)*, ac Tucidide *(Lib. 3)*. His itaque, aliisque postea diebus, psalmos precesque iterabant, quas in obitu ad Deum fuderant; seque ad sepulcra conferebant, vel fictum erigebant in media Ecclesia tumulum, quem *castrum doloris* appellarunt, vel ex graeco sermone verbo desumpto, cenotaphium. Corpora defunctorum ita collocare consueverunt, ut eorum caput altare prospiceret. Nam Ecclesiis sic de more constructis, ut versus orientis partem maneret altare, caput defuncti contrariam seu occidentis partem respiciebat, in qua Ecclesiarum ianuae sitae erant. Eiusmodi consuetudo fideliter servata est deinceps, ut ipsum Rituale Romanum, ne alia citemus exempla, super id legem tulerit *(Tit. VI, Cap. 3, n. 4)*: « Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius ». Quod et alibi praenotaverat : « Corpora

defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare maius (*Ibid. Cap. 1, n. 17)* ». Quod vero Sacerdotes attinet, eorum attenta dignitate, opposita ratione collocabantur, ita nempe ut facies populum seu Ecclesiae valvas respiceret, hinc capite altare versus, pedibus versus ianuam Ecclesiae. Eapropter post relata verba addit Rituale : « Si vero fuerit Sacerdos . . . caput sit versum ipsum altare *(Loc. cit.)* ». Haec consuetudo et norma pro cadaveribus in Ecclesia ponendis : ut logicum proinde sit, cenotaphium cadaver repraesentans eumdem habere situm, pro laicis videlicet pedibus versus altare, pro Sacerdotibus pedibus versus Ecclesiae ianuam. Quod tamen intelligas si praesens Sacerdotis cadaver fuerit, haud vero si absens, cum dignitas hac in hypothesi minime consideretur. Hoc autem ex eo demonstratur, quod Rubrica Ritualis exigit semper Cruciferum ad caput defuncti, locumque proinde mutet Crucifer, prouti laici aut Sacerdotis cadaver fuerit. Dum tamen idem Rituale de Exequiis agens absente cadavere, notat explicite : « Praedictus autem officii ritus pro defunctis adultis, tam Sacerdotibus et clericis, quam saecularibus et laicis, servari debet in officio sepulturae . . . in die 3°. 7°. 30°. et anniversario (*Tit. VI, Cap. V, n. 4)* ». Cum itaque lex ante statuisset, Cruciferum in Absolutione pro laicis debere se **inter tumulum et ianuam Ecclesiae** collocare, supponens tumuli figuratum caput versus portam Ecclesiae, sic postea eumdem praescribens ritum, eiusque observantiam exigens, seu pro laicis seu pro Sacerdotibus, manifesto supponit figuratum tumuli caput etiam versus ipsam ianuam Ecclesiae. Certum igitur manet, cenotaphium, sit pro laico, sit pro Sacerdote, semper repraesentare caput versus ianuam, pedes versus altare.

Locus officium agentis semper determinatus manet ad pedes defuncti, seu realis seu figurati, sicuti locus Cruciferi ad illius caput. Etenim natura actus

omnino clamat, ut officium agens erga se conversam habeat faciem illius, pro quo iustorum beatitudinem implorat, quem aqua lustrali abluit et mundat, cui thus adolet. Clamat omnino eiusdem natura actus, ut Crucifer sistat ad defuncti caput, quia Crux, quam manibus tenet, testari fas est, defunctum ad illam pertinuisse per fidem, atque in ea mortuum veluti in Crucis proprietatem transiisse. Sit ergo semper ad caput, quae partem hominis excellentiorem constituit, et unde pii conceptus, rectae intentiones, ac salutaria proposita dimanarunt.

Sed quaestio hic nova, circa praesentiam cadaveris physicam et moralem, oritur. Hactenus enim cadaver, aut simpliciter praesens, aut simpliciter absens consideratum fuit. Sed postquam S. R. C. diem obitus moraliter pro suffragiis quodammodo extendit ad tres dies, iure inquiri potest, an cadaver tribus istis diebus absens, dum funeralia peraguntur, considerari debeat moraliter saltem praesens, an simpliciter absens, uti ex. gr. die anniversaria. Reponimus, cadaver, dum exequiae in Ecclesia aguntur pro illius anima, etsi absens, tribus diebus, quibus physice praesens esse deberet, non simpliciter absens considerandum est, sed moraliter praesens. Ratio est, quia diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria cadaver nulla ratione potest esse praesens in Ecclesia, sed esse necessario debet simpliciter absens ; at diebus, qui tamquam obitus aut pro obitu nunc ab Ecclesia habentur, cadaver posset ac deberet esse praesens, quamvis sit absens. Ergo inter illos dies et istos grave intercedit discrimen, ut inter se aequiparari nequeant, uti ex privilegiis diversis, quibus fruuntur, abunde patet. Quid autem hoc significat, nisi cadaveris praesentiam quodammodo ab Ecclesia in die obitus aut quasi-obitus, seu qui stat pro obitu, considerari ? Hanc autem praesentiam, quae physica non est, nos moralem appellamus, quae proinde a simplici absentia satis

differt. Praeterea, nisi hoc admittatur, nota dignum sequitur incommodum, quod detrimento vertitur Sacerdotum dignitati. Pluries enim, et quibusdam in locis frequentius, accidit, ut ex impossibilitate, qua premitur, vel negligentia qua laborat Negroscopus, eventus mortis probari publice nequeat, atque interim defunctus, prohibente civili lege, asportari non possit in Ecclesiam. Hinc, praesentia morali non admissa, rarius Sacerdos defunctus peculiari frui posset ritu, quo gaudet vi Ritualis : quod notabile pro Sacerdotis dignitate incommodum esse nemo ambiget. Arroges, parum esse satis, ut Ecclesia in suis adimplendis officiis subiacere debeat civili legi, cuius executionem urgere, ex temporum tristitia, nequit. Morali vero praesentia admissa, Ecclesia omnimoda libertate gaudent, gubernii legi non erit sui cum depressione obnoxia, et Sacerdotis dignitas in tuto erit.

Locus proinde Cruciferi idem semper erit quod attinet cadaver laici, uti et locus pro officium faciente, sive physice sive moraliter praesens sit cadaver, quia Rituale non distinguit : erit nempe Crucifer ad caput versus Ecclesiae ianuam, officium agens ad pedes versus altare maius. Locus vero Cruciferi, quod attinet cadaver Sacerdotis, sicut locus facientis officium, idem erit semper ac pro laicis, quandocumque cadaver erit simpliciter absens : si vero aut physice erit aut moraliter praesens, Crucifer et officium agens locum mutabunt, quia caput quoque, vel realiter vel figurate mutatum est. Adeo ut semper Crucifer se sistet versus altare, ibi enim aut est aut figurat caput Sacerdotis defuncti, officium faciens stabit versus portam Ecclesiae, quia ibi sunt aut figurant Sacerdotis pedes.

Hanc sententiam legi eiusque spiritui plane conformem sancivit confirmavitque S. R. C. Quippe quae expetita : « Num officium agens et Diaconus in Absolutione absente cadavere, collocare se debeat sem-

per inter tumulum et altare, et Subdiaconus inter Ecclesiae ianuam et tumulum, sive Absolutio fiat pro laico, sive pro Sacerdote ? » respondit : « Affirmative, excepto casu quo cadaver *(Sacerdotis)* sit moraliter praesens *(Dubia, 20 Iun. 1899, n. 4034 ad III)* ».

III. Tertio inquiritur quid iudicandum de reliquis, peculiariter de Absolutione Abbatis, qui Missam non cantavit ?

Nullius laboris responsio est ad praesens dubium, quam breviori calamo exhibemus. *a)* Quod attinet Abbatem, qui Missam minime celebravit exequialem, Absolutionem tamen peregit, censura ipse notandus est. Demonstravimus enim, uni Episcopo Ordinario ius competere Absolutionem agere super cadavere, quin prius Missam exequialem cantaverit. Notavimus, id neque Episcopo Titulari competere posse, quippe qui iurisdictione nequaquam fruitur, uti ex certa lege visum est. Ergo a fortiori eiusmodi Absolutio vetita dicenda est Abbati, qui rusticandi causa in illa civitate morabatur.

b) Nec praetereundum, praefatum Abbatem pontificaliter peregisse Absolutionem, in quo alia censura notandus est ; siquidem Abbates Monachi Pontificalia agere tantum possunt in propriis Ecclesiis, minime vero in alienis.

c) Quod vero spectat cenotaphii dispositionem rite se gesserunt, cum de cadavere Sacerdotis ageretur, licet non physice, sed moraliter praesente. Tunc enim, vidimus iam, caput ad altare figurare debet, pedes versus Ecclesiae portam.

d) Confusio reprobanda circa locum Abbatis et Cruciferi ; iuxta enim dicta et probata, Abbas collocare se debuerat ad pedes cenotaphii, seu versus ianuam, et Crucifer versus altare, seu inter altare et cenotaphium ; sed oppositum factum fuit, quod contra legem est.

e) Oratio *Non intres* omissa fuit, quod et pro-

bari non potest ; quia prima vice, qua exequiae fiunt, nunquam omittenda, et Caeremoniale Episcoporum, etiam extra diem obitus illam admittit, non tamen Rituale. A fortiori ergo in casu, qui dies saltem quasi obitus erat, nequaquam debebat omitti. Ratio, quae pro eius omissione affertur, nulla est, quia cadaver non erat simpliciter absens, sed moraliter praesens.

f) Circa sessionem omnium de clero, dum musicaliter concinebatur *Libera*, nil dicimus. Quamvis enim Rituale dicat, dum *Libera* cantatur, omnes (*Tit. VI, Cap. 3, n. 7*) « alii de clero **stant** in circuitu feretri ; nihilominus Caeremoniale sessionem permittit, dicens : « Qua finita, (Orat. *Non intres*) omnes sedebunt *(Lib. II, Cap. XI, n. 17)* ». Quae tamen verba diverso a peritis modo exponuntur : adeo ut alii [illegible]nt, solum Pontificem eiusque ministros sedere, nisi aliter consuetudo ferat : alii vero omnibus de clero sedere permissum esse teneant, scamnis convenienter antea paratis. Quidquid sit, de incerta lege discutere nolumus, neque sessionem proinde, ut in casu, notare censura volumus.

g) Denique de antiphona *In paradisum* nil pariter dicendum habemus ; quinimo ex romana saltem consuetudine probari ea potest, quia quasi per fictionem iuris cadaver censetur ad sepulcrum deferri, si praesens sit, nec tamen deferatur. Ergo et eadem fictio iuris in casu moralis praesentiae optime fieri potest, cum secus eiusmodi oratio in suffragium defuncti saepe saepius omittenda foret.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hollandia.* **De festo unico et praecipuo Patroni a Regularibus celebrando.** — Patronus Dioecesis N. est S. Corbinianus, cuius dies natalitia, die 9 Septembris, celebratur sub ritu dupl. II. cl. sine feriatione populi, et cuius festum Translationis celebratur sub ritu dupl. I. cl. cum feriatione populi. Quaeritur utrum Regulares in casu teneantur ad utrumque festum, an tantum ad unum. Si tantum ad unum, quaeritur utrum ad diem natalitiam an ad festum Translationis.

Resp. Non interest si dies natalitia S. Corbiniani sit 9 Septembris, dum translatio illius alia die celebratur sub ritu dup. I. cl. cum octava et feriatione. Diem natalitiam dicerem festum *per se* primarium, sed fortasse *per accidens* secundarium: dum dies translationis, si ita exprimi liceat, certe primarium est, *per accidens* saltem, et ad summum *per se* secundarium.

Ut res plane innotescat, animadvertas primo, frequenter evenire ut dies natalitia pro festo aliquorum Sanctorum celebrando negligatur, et alia seligatur (ex auctoritate tamen S. R. Cong.nis), in qua primarium festum recolitur. Ex. gr. Presbyteri Vincentiani festum Institutoris S. Vincentii a Paulo non recolunt die 27 Sept. quae vere dies obitus est illius, sed 19 Iulii.

Illa quidem non recolitur in universa Ecclesia, cum dies 19 sit pro-natalitia; recolitur tamen a Vincentianis, sed sub dup. mai. tantum ritu, dum dies 19 ab iisdem recolitur sub ritu dup. I cl. cum octava, et proinde dies

27 Sept. quamvis natalitia, uti secundaria recolitur, sicuti ex ritu patet. Animadvertas secundo, festum aliquod posse celebrari in die Translationis proprio; non quia eo die Translatio recolitur, sed quia die Translationis recolitur festum primarium. Cum enim iusta de causa dies natalitia non permittat festum primarium recoli, transfertur, et pro die celebrationis dies Translationis prae aliis seligitur. Non ergo festum Translationis recolitur, licet dies sit Translationi sacra, sed ea die celebratur festum primarium seu dies pro-natalitia. Quod etiam in calendario universali factum novimus, ut ex. gr. S. Remigius recolitur die 1 Octobris, quae Translationi eius Reliquiarum sacra est, dum natalitia eius dies est 13 Iunii. Ita pariter S. Io. Chrysostomus celebratur die 27 Ianuarii, quae non obitus illius, sed Translationis propria est. Die tamen Translationis primarium festum recolitur, ut in die natalitia. Ad rem Cavalerius: « Sunt aliqui Sancti, quorum festivitates, cum dies vere natalitia seu obitus foret impedita, alteri vel Translatione vel Inventione eorumdem celebri in perpetuum sunt consignatae. At cum in iis nihilominus non recolatur Translatio vel Inventio, sed in memoriam pretiosae eius mortis fuerint institutae, non propterea a die natalitia procul dubio decidunt, nec censendae veniunt eorum **festivitates secundariae et minus principales, sed principales et primariae** etc. (*Lib. I, Cap. XI, Decr. I, in Ord. XCVII n. VI*).

Id autem fulgentiori, in casu, comprobatur luce ex solemnitate festi, quae maxima est in die Translationis, minor autem in die natalitia; dum enim dies natalitia (9 Sept.) sub ritu dup. II classis sine feriatione recolitur, dies Translationis celebratur sub ritu dup. I cl. cum octava et feriatione. Ergo die Translationis recolitur dies natalitia eaque die festum primarium fit S. Corbiniani : die autem

9 Sept. festum eiusdem celebratur, sed minus principale et secundarium, nisi *per se*, certe *per accidens*.

Ex his sequitur certa conclusio: Regulares non tenentur nisi ad unum festum patronale in loco ubi degunt recolendo, quod, uti patet, principale et primarium esse debet. Atqui festum primarium ac praecipuum S. Corbiniani est illud quod celebratur sub ritu dup. I cl. cum octava et feriatione; ergo ad hoc Regulares, nullumque aliud tenebuntur.

II. *E Vico in Hispania*. **De sensu Decreti** *Vicen.* ad V. d. d. 3 Apr. 1900 (*V. num. 5 vert. an. 1900, pagina 258 et seq.*). In Decreto aliquo inveni, iuxta alias decreta, quod extra Episcopales functiones non licet uti veste violacea, attamen silet decretum qualis esse debeat. Quidam auctores aiunt esse, vestem interiorem nigram, cum cotta alba, quibus assentior.

Difficultas tamen mihi est in diebus in quibus Vesperae, *Te Deum* et Laudes tantum in hac Cathedrali Basilica canuntur. In his habitu beneficiario non caeremoniali uti, est praxis quae decretis adversatur. Quapropter in dubio V. quaesivi: « Quo habitu uti debeat cum solemniter tantum Vesperae *Te Deum* et Laudes canuntur; et an e choro exire debeat tempore opportuno ad mutandum habitum? » Responsio fuit: « Quoad primam partem provisum in praecedentibus; quoad alteram servari potest praxis praesertim Basilicarum Urbis ».

Cum vero talem praxim ignorem, dubito an exire debeam necne: ideo a tua benevolentia postulo ut mihi indicare digneris quid agendum, attentis decretis et consuetudine huius Cathedralis, si nimis molestus non sum.

Resp. Decretum prohibens magistris Caeremoniarum vestem violaceam extra episcopales functiones est in una *Aquilana* d. d. 22 Ian. 1735 ad 3, n. **2310** (4028). Patet autem, prohibita violacea, magistros Caeremoniarum nigra

talari veste tantum uti posse in sacris functionibus, et superpelliceo, quod semper albi coloris esse debet, et alium revera praedictorum indumentorum colorem nescimus. Sacra vero R. C. in *Vicen.* ad V. rogata *quo habitu uti debeat* caeremoniarum magister Cathedralis Ecclesiae, cum solemniter canuntur *solummodo Vesperae*, *Te Deum et Laudes*; et an exire ille debeat e choro, opportuno tempore, *ad mutandum habitum*, respondit: provisum in praecedentibus quoad primam partem, et servari posse consuetudinem praesertim Basilicarum Urbis quoad alteram. Prima responsionis pars liquet; nam in praecedentibus declaratum est, veste violacea utendum esse quoties Episcopus, sive Ordinarius, sive alter de Ordinarii consensu, in illius dioecesi, vel etiam Capitulum Cathedrale functiones episcopales peragit. Consequenter si Vesperae, *Te Deum* et Laudes canantur vel canendae forent ab Episcopo, caeremoniarum magister vestem induet violaceam: secus, nigram de more.

Quod vero alteram spectat responsionis partem, hic est sensus illius: caeremoniarum magister non tenetur pergere opportuno tempore in sacrarium, vestem violaceam in nigram, aut nigram in violaceam mutaturus. Haec est enim praxis Basilicarum praesertim Urbis, ut si in Vesperis solemnibus adhibuerit caeremoniarum magister violacei coloris talarem, eam quoque in Completorio retineat, quamvis non solemni. Si in Matutinis minus solemniter peractis nigra usus fuerit veste, non abeat in sacrarium ad induendam violaceam pro *Te Deum* Laudibusque solemnioribus. Quinimo praxis est, ut ab initio ipsius Matutini talarem vestem induat violacei coloris, quamvis esse haec deberet nigri ex ratione allata, ob solemniorem et episcopalem functionem sequentem.

Quam praxim satis esse sapientem nemo non videt; nimis enim esset incommodum abire, in decursu functio-

nis, esto opportuno tempore, in sacrarium ad alterum deponendum, alterumque habitum induendum. Praeterea risus causam inducere eiusmodi mutatio facile posset in praesenti populo, qui in caeremoniarum magistro videret eamdem vestem prius nigram, deinde violaceam, aut viceversa. Ceterum, cum vestes sint pro hominibus, non homines pro vestibus, ratio dictat, ut talaris induenda sit illa, quam exigit functio principalis, quae in casu est solemnior, quamvis retinere eam debeat aut possit etiam pro minus solemni, quae in casu non esset potior.

Nota. Ratio ex qua Calendarii redactor non inserit in festorum ordine S. Zachariam, satis est infirma, imo et iniusta. Infirma; quia lex est notissima, novum officium die a S. Sede statuta impeditum in Ecclesiis particularibus in primam diem liberam esse reponendum iuxta normas in recentiori Decreto Generali assignatas. Iniusta, quia novum festum pro Ecclesia universali a Pontifice datum, omnino recitari debet ab universo clero, qui ad Horas Canonicas tenetur; ex eiusque omissione conscientia gravatur illius, cuius interest Calendarium ordinare.

III. *Ex Urbe*. **De non canenda Missa Conventuali Dominicae Quadragesimae in qua fit dup. I cl.** Anno elapso 1899 Festum Annuntiationis Deiparae occurrit in Dominica **Laetare**: in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis aderat ne onus duas Missas Conventuales canendi, alteram nempe de Festo, alteram de Dominica? An potius una tantum de festo cantanda erat cum commemoratione Dominicae?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad alteram. Ratio est, quia duplex I cl. cuicumque alii festo aut Dominicae maiori (nisi et haec primae classis sit) necessario praevalet, et anteponitur ob maximam, quam praesefert, solemnitatem. Hinc minus congruum Rubricae visum est de ipsa Dominica maiori Missam conventualem

fieri. Hinc etiam in Dominicis communibus, occurrente festo duplici, quod praevalet, non duae dicuntur, sed una tantum Missa Conventualis, nempe de festo, cum commemoratione tamen Dominicae occurrentis. Eapropter etiam in Dominicis maioribus, II quidem classis, duplici I classis occurrente, statutum est ut unica celebretur Missa Conventualis de festo, altera omissa de Dominica, cuius tamen facienda est in illa commemoratio, quae numquam omittitur. Ad rem videri possunt Schober (*De Coerem. Missae etc. Append. I, Cap. 2, n. 8*), Tetamus (*Diar. eccl. Tract. II, Lib. IV, pars I, n. 10*), Gavantus, Meratus aliique omnes.

Quod si quaeras, cur ergo duae Missae dicantur in feriis Quadragesimae, eodem occurrente duplici I classis, respondet Gavantus sequenti ratione a Francolino desumpta: « Dispar est ratio in Missis de Dominica et feriis maioribus, nam in his intendit Ecclesia sine praeiudicio festi excitare Clerum et populum ad actus humilitatis et poenitentiae cum genuflexione ad Orationes in Missa et officio proprio earumdem Missarum: qui actus non conveniunt Dominicis, in quibus ob memoriam Resurrectionis dominicae stamus ad Orationes, neque genuflectimus... Porro Francolini ratio adeo vera est, ut idcirco nulla sit Rubrica de duabus Missis dicendis de Quatuor Temporibus, et de Vigiliis S. Matthaei et S. Thomae, si in eumdem incidant diem, quia essent ambae cantandae post Nonam... nulla media Hora inter illas, quod est valde notandum (*Pars I, Tit. VII, n. 2*) ».

His de causis, cum S. R. C. rogata fuerit: « An in Dominicis Adventus et Quadragesimae, in quibus fit de duplici primae classis, sint cantandae duae Missae? » aperte respondit: « Negative (*Collen. 5 Iul. 1698 ad 9, num.* **2002** (3477).

Nota. In Decreto 14 Dec. 1891 (*Granaten.*) servandae

dicuntur, saltem pro diebus solemnioribus, dispositiones Caeremonialis Episcoporum, ad quas adimplendas tenentur Canonicorum Collegia; ut quid ergo requireretur eorum consensus, ut executioni mandentur? Pro aliis diebus congruum omnino videtur, ut sicut Decretum servatur pro primis lectionibus et pro secundis, ita pro tertiis: adeo ut Canonici has ultimas dicant, quod et eorum dignitati praestantiori favet.

IV. *E Missionibus Exteris.* **De Rubrica circa primas Vesperas integras Dominicae Maioris.** Unde constat, Dominicam 2 cl. (de die septima infra octavam officio facto), in qua, dies aliqua octava ad ritum simplicem redigenda est, integras habere primas Vesperas, hoc est cum psalmis Sabbati?

Resp. Constat ex Rubrica Gen., non quidem explicite, sed implicite, perspicue tamen. Animadvertendum est enim quod docet Rubrica num. 8, Tit. IV de Dominicis: « Officium Dominicae... incipit a primis Vesperis **in Sabbato**, et habet totum officium integrum ». Ubi notandum primo est, has primas Vesperas in Sabbato complectere psalmos Sabbati et Capitulum, atque hymnum sequentem cum Versibus, et relativam antiphonam ad *Magnificat*. Atqui Capitulum et reliqua postea enumerata certe, nemine adversante, ad Dominicam pertinere noscuntur; ergo et psalmi praefati, quamvis sint Sabbati, ad Dominicam quoque, pro opportunitate, pertinebunt. Secundo notandum, **officium integrum** Dominicae dari non posse, nisi et primas per se habeat et secundas Vesperas, est enim officium dominicale semiduplicis ritus, qui duabus ex natura sua Vesperis gaudet. Aliunde Rubricae de Concurrentia pluries admittunt in Dominicis concurrentiam activam et passivam; ergo eae duas necessario habere Vesperas debent. Non enim Dominica aequiparari potest simplici, multoque minus feriae:

ex quibus illud in solis primis, ista nec in primis nec in secundis Vesperis concurrere potest.

Constat insuper explicite e Rubrica speciali. Quaeras Rubricam positam in Breviario ante diem 15 decembris, et habebis: « Si dies Octava Immac. Conceptionis B. M. V. inciderit in Dom. III Advent. fit Officium de Dom. hoc modo: Vesperae in Sabbato praecedenti dicuntur de feria ut in psalt., et a Capitulo fit de Dom. cum commem. Octavae ut in I Vesp. festi etc. ».

Suffragatur et ratio. Suppone casum in dubio proposito admissum, hoc est, officium in Sabbato factum fuisse usque ad Nonam de die septima infra octavam, dieque sequenti agendum esse de Dominica 2 classis, ad simplicem ritum die octava redacta: quasnam recitabis Vesperas? De die octava? Non licet; quia de ea non debet officium fieri die sequenti, ut neque primas Vesperas habere debeat iuxta Rubricas (*Tit. XI, n. 10*). De die septima? Nequaquam profecto; quia dies septima infra octavam ad Nonam explicit, et ad Vesperas nonnisi diei octavae officium potest incipere. Hoc docet Gavantus, cui se Guyetus quidem opponit, sed non credimus rationabiliter. Hunc audiamus confutantem Gavantum, qui docet officium diei septimae infra octavam terminare ad Nonam, incertumque esse an dicendi sint psalmi ut in primis, an ut in secundis Vesperis. Haec ratio, ait Guyetus « nullam prorsus vim habet; metitur enim singulos dies infra octavam quasi singula festa, quod naturae ipsius octavae repugnat; neque enim octava festum est, sed... continuatio et prolongatio festi, quod tamdiu perseverat, quamdiu durat octava. Unde nonnisi improprie dictum est, officium diei (septimae) infra octavam terminari ad Nonam, nisi, quatenus Vesperae fiunt de die octava. Quod si contingat ut Vesperae non sint eiusmodi, quidni continuanda erit in iis Octava eo modo quo fieri potest, nempe sumendo psalmos et antiphonam

de ipsa ex secundis Vesperis festi, Capitulum vero et cetera deinceps de Dominica etc. (*Lib. IV, Cap. VI, quaest. 7*) »?

Haec quidem a Guyeto fit confutatio Gavanti. At cum bona illius pace credimus applicari hic posse: **Quandoque bonus dormitat Homerus.** Et sane: concedamus libenter, dies omnes infra octavam non metiri singulatim, sed uti unius festi prolongationem haberi, quod festum tandiu perseverat, quamdiu durat octava. Verum, optime peritorum, quamdiu durat aut durare potest Octava? Equidem per octo dies et non amplius: secus aut Nonam habebis, aut Decimam, aut fortasse etiam Vicesimam, sed non profecto Octavam, cuius natura octo tantum et certe dierum est. Ergo expleta Hora nona diei septimi, necessario prolongatio festi per dies infra octavam absoluta est, et nonnisi prolongatio eiusdem festi per diem octavam remanet. Si proinde Vesperae in casu fierent de infra octavam, quaeri posset: de quo die? Non de septima, quae expleta est, non de aliis praecedentibus, utpote praeteritis; ergo de die octava, quae tamen duplicis ritus est, et de qua fieri Vesperae nequeunt, cum fieri non possit officium die sequenti. Non ergo *improprie*, sed prorsus *proprie* dicendum credimus cum Gavanto officium diei septimae infra octavam terminari ad Nonam, post quam dies octava debet incipere: de qua si Vesperae fieri non possunt, neque de infra octavam fient, quia non sunt, et nullum sensum haberent.

Quid ergo superest? Id quod superesset si per absurdum liturgicum in Sabbato actum foret de Simplici. Cum, scilicet, officium simplex ad Nonam terminet, primae Vesperae in Sabbato essent de Dominica cum psalmis eiusdem Sabbati, qui et ad Dominicam pertinent; et nulla fieret amplius commemoratio de Simplici iuxta Rubricas (*Tit. XI, n. 8*). A pari, imo a potiori, dato officio de die septima infra octavam, quod ad Nonam terminat, et posito quod

non de die octava agi possit officium die sequenti propter Dominicam maiorem, Vesperae in Sabbato erunt integrae de Dominica cum psalmis Sabbati, et de infra octavam nulla agitur commemoratio; cum tamen redigenda sit octava dies ad ritum simplicem, de hac commemoratio agenda est. Hinc patet, praefatam agendi rationem esse, uti diximus, ex Rubricis, quod eam implicite, et explicite doceant, nec non rationabilem.

Fatendum est, super eadem agendi ratione, peculiarem non esse Decretum aliquod eam praescribens. Decretum enim, quo ab A Carpo citatum dicitur, et aliud antiquius, quod Gavanto petente, vulgatum fuit, et a De Herdt quoque citatur, neque nos reperire usquam potuimus. Quidquid nihilominus sit, cum e Rubricis, implicite et explicite, quomodo in casu proposito nos gerere debeamus innotescat, cunctique auctores, Guyeto vix excepto, in hoc conveniant, non est, cur in re nimis debeamus insistere et Decreta invocare.

Nota. Textus indicis de *nulla reverentia* facienda *ad imaginem sacristiae*, manifeste errat, certe ex advertentiae defectu; agitur enim de ipsa reverentia quatenus *profunda*, quae quidem non praescribitur in casu.

V. *E Curenna.* **De occursu festi primarii et secundarii perpetuo.** Festum quoddam Deiparae secundarium occurrit die 18 Martii, in quo recolendum quoque est apud nos festum S. Gabrielis Archangeli, et ambo sunt ritus duplicis maioris. In Calendario habetur die 18 Mart. festum Deiparae, et festum S. Archangeli die 20 assignatum fuit : quid ?

Resp. De norma, quam adm. Rev. consulens admittit, non disceptamus, iuxta quam Festum S. Archangeli utpote primarium die 18 agendum esset, et festum secundarium Deiparae primae diei liberae assignandum. Nihilominus in casu agitur de facto; seu de festo, quod tali die in Calendario reperitur. Non ergo censemus Calendarium mutandum;

sed animadvertendum potius est, qua de causa ita factum fuerit. Momenta enim peculiaria potuerunt existere, ut praelatio daretur Deiparae festo prae festo S. Archangeli: vi quorum opportuna a S. R. Cong.ne facultas accepta fuerit ad agendum minus conformiter legi. Cum autem praedictum festum Deiparae in loco peculiarem praeseferat solemnitatem externam, populique concursum, uti iure argumentamur, consilio adm. Rev. consulentem iuvamus, ut Calendariam relinquat uti iacet, negotiumque apprime perpendat.

Nota. Tam in Commissione Liturgica, quam in Secretaria S. R. Cong.nis haec est sententia, quae exigitur in praxi redigenda: Cum dies aliqua octava, sive per accidens sive etiam perpetuo, occurrit cum festo duplici II classis, illa ad simplicem ritum redigenda est, idque iuxta Rubricas. Ita proinde agendum, haud obstante quod aliter nobis aliquando visum sit.

VI. *Ex Hispania*. **De iure quodam Episcopi Titularis cuiuscumque**. Iure ne gaudet Episcopus Titularis acceptandi invitationem pro Missa aliqua legenda, in qua Communio generalis fidelium locum habeat, sine licentia Episcopi loci?

Resp. Non possumus, quin Dubium ipsum nobis propositum miremur. Episcopus namque eiusmodi Titularis num desinit esse Sacerdos, quia charactere episcopali insignitus? Atqui nemo dubitat, quemcumque Sacerdotem ad aliquam generalem Communionem invitatum optimo iure posse invitationem acceptare, Missamque saltem lectam facere pro illa agenda, quin ullam teneatur Episcopi loci facultatem petere. Numquid Episcopus minoris dignitatis est quam simplex Sacerdos? Immo, si id simplex Sacerdos potest, potiori quoque iure potest et Episcopus, nullamque tenetur petere permissionem; Missam namque facere et Eucharistiam distribuere ad sacerdotale munus pertinent, quae impedire non valet Ordinarius nisi suspendat Sacer-

dotem, vel ratione delicti, vel ratione loci propriae iurisdictioni subiecti. Notandum tamen Episcopum Titularem non ita Dioecesano subiacere, ut possit ab illo suspendi; hoc enim Summus tantum Pontifex potest, cum Episcopus Titularis sit immediate subiectus Apostolicae Sedi et exemptus a iurisdictione Ordinarii, nisi de negotiis agatur dignitatis aut officii, quod in Dioecesi illius forte habeat.

De cetero principium est universaliter admissum et iure confirmatum, Episcopis Titularibus illos actus omnes, sine Ordinarii facultate, esse prohibitos, pro quibus potestas Ordinis Episcopalis requiritur, aut iurisdictionis; ex his enim illam possident quidem, sed, cum iurisdictione careant, exercere nequeunt. Quaenam autem, vel Ordinis episcopalis vel iurisdictionis exigatur potestas ad Missam agendam, in eaque generalem pro fidelibus communionem faciendam, lectores iudicent. Ergo ad propositum Dubium respondemus: Affirmative.

VII. *Ex Utino.* **De genuflexione communicantium ad altare Sacramenti, dum ad aliud altare accedunt pro communione ab eoque recedunt.** Specialis, sed haud infrequens casus accidit, ut alumni Seminarii pergentes ad suscipiendam Eucharistiam ab eoque redeuntes, transire debeant ante altare aliquod, ubi non quidem asservatur in tabernaculo Sacramentum, sed fit Missa ab elevatione ad consummationem. Quaeritur, utrum alumni ad eiusmodi altare, in quo est indubie Sacramentum, genuflectere debeant?

Resp. Dubio fluctuavimus aliquantum; sed, re mature perpensa, illud deposuimus, et respondemus negative. *Dubio fluctuavimus*, quia lex est, transeuntibus ante Sacramentum genuflectendum esse. Atqui in dicto altari Sacramentum extat; ergo in eo genuflectendum. Sed contra animadvertendum est primo: Altare illud non est *locus loci* pro Sacramento; ille enim est altare tabernaculi, in quo indubie genuflectere debet ante illud transiens; sed

est altare, in quo accidentaliter est Sacramentum, quod non semper ab omnibus advertitur, etsi ad elevationem campanula pulsetur, cum alumni alii Missae assistant, quae fit ad altare princeps. Secundo: alumni dum pergunt ad altare pro Eucharistia suscipienda, iam sunt in statu et actu adorationis Sacramenti; non ergo necessarius videtur materialis ille alius adorationis per genuflexionem actus ad aliud altare. Christus enim vivus et verus, quem in principe altari adorant, idem est Christus, qui in alio altari adorandus supponeretur. Tertio: Instructio Clementina, exposito solemniter Sacramento super altari principe, prohibet quominus campanula ad elevationem in Missis, quae in aliis celebrantur altaribus, pulsetur. Profecto ne fideles ab adoratione Sacramenti in altari principe exposito quasi mentem avertant; idem est enim qui adoratur, ut alium in altari diverso adorationis actum fere supervacaneum iudicet. Idem dicendum in casu nostro, quamvis solemnis expositio non habeatur, sed neque in minori altari elevatio supponitur. Quia alumni in Eucharistia adoranda, quam recepturi sunt, vel mox receperunt, toti sunt intenti: supervacanea proinde videtur dicenda alia genuflexio, et quasi ab adoratione eiusdem Sacramenti mentem avertens. Quarto: quid iudicandum, si ante plura altaria, in quibus consecratio facta est, transeundum esset alumnis in casu, uti in similibus evenire facile posset? Unam ne diceres satis esse genuflexionem? At si ante primum altare, per quod transeundum, genuflectendum esset, quare non ante secundum, tertium etc.? Eadem namque semper adesset ratio. Verum inordinationem certo non probandam unusquisque tunc nullo labore videret. Nonne ergo consultius est eodem modo alumnos se gerere in casu, ac Sacerdotes dum pergunt ad altare celebraturi, ab eove in sacrarium redeunt? Procedant scilicet *oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore*, ad tantum actum unice attendentes, quem

adimpleturi sunt, vel mox perfecerunt, tota mentis attentione, cordisque humilitate Christum in Sacramento adorantes. Hoc nobis satis esse videtur, et genuflexio minus probanda ex hucusque expositis.

Quod si opponas in omissione genuflexionis in casu aliquam apparere irreverentiam erga almum Sacramentum, quod revera extat in altari, respondere possumus, praeter ea quae iam diximus, non tam cordis affectu actus liturgicos esse considerandos, quam recto rationis iudicio. Ille enim allicere ad plura nos potest, quae vel contra vel praeter legem sunt: istud vero nos semper ducit ad Christum honore habendum iuxta legem, vel iuxta id quod, tacente lege, magis eidem legi conforme est. Eoque magis, quod actus liturgici non ideo sic praescribuntur, quia sic fieri debent, sed sic fieri debent, quia sic praescribuntur. Haec nostra sentiendi ratio, quam nihilominus non valemus imponere, sed pro meliori bono in casu consulimus, dum interim nulla nobis intentio est damnandi eos, qui aliter sentirent.

VIII. *E Neapoli*. **De Missa de requie unicam Orationem vel plures habente.** Verum ne est Missam de requie **solemnem** tantummodo, seu, **cum ministris sacris**, unicam Orationem habere, reliquas cantatas sine ministris, semper plures? Ergo, a fortiori, Missae quaecumque privatae pro defunctis, plures semper Orationes habebunt. Quid dicendum? Ratio dubitandi est dubium resolutum in Ephemeride Conversanensi « Monitore Ecclesiastico » mens. Maii 1900, pag. 127, quae sequentia habet:

Altra è la messa *solenne*; altra la messa semplicemente *cantata* (V. De Herdt, *S. Lit. Prax.* T. I, n. 13). La prima si canta coi ministri; la seconda si canta senza ministri. Per lo addietro, si era ritenuto che l'unica orazione *pro defunctis* si dovesse dire non solo nella messa *solenne*, ma ancora nella *cantata*, interpretandosi così la

rubrica del Messale (che prescrive l'unica orazione nelle messe solenni) dal decreto della S. C. de' Riti del 12 agosto 1854 *in Briocen.* ad 11: « Unicam orationem dicendam in missa de requie cum cantu pro anima illius quam designat eleemosynam exhibens ». Però questa parte di quel decreto è stata eliminata nella edizione novissima della Raccolta Ant de' Decreti della S. C. de' Riti. Onde si dovrà dire che nelle sole messe strettamente *solenni* fa d'uopo cantare l'unica orazione.

Resp. Illustris Ephemeris Conversanensis optime iudicat, aliud esse Missam Solemnem, aliud Missam cantatam; ex omnium enim peritorum consensu et quasi conventione, Missa dicitur **solemnis**, quando est cum sacris ministris: **cantata** vera dicitur, quando fit quidem in cantu, sed sine sacris ministris. De hoc non dubitandum. Item, optime dicit, unicam Orationem **antiquitus** dicendam fuisse in omni Missa de requie cum cantu, etsi ministros sacros non ferret: quod et Decreto probat in *Briocen.* ad 11, d. d. 12 Aug. 1824, e novissima Collectione nunc expunctum. Sed conclusio ultima, obscuritate, ne falsitate dicamus, laborat, adeo ut falsa consectaria inferri ex ea possent, uti revera intulit adm. Rev. inquirens.

Itaque haec veritas: *a*) Missa quaevis de requie, nisi inter votivas recensenda, utpote omnino extra officium diei, et liturgice loquendo, ex voto Celebrantis, indubie ad votivas reduci potest, et uti talis considerari: quod et alibi ac pluries, ni fallimur, dictum fuit. *b*) Solemnitas alia est extrinseca, alia intrinseca in Missis: illa constituitur ex externa solemnitate, puta ex cantu sacrisque ministris: haec ex ritu, cui Missa respondet. *c*) Solemnitas Missae, sicut votivae, ita et de requie, de qua Rubricae verba faciunt, non est extrinseca, sed intrinseca; ac proinde dicta solemnitas non est requirenda in Ministris sacris, sicut neque in cantu, sed tantum in ritu, cui Missa de requie respondet. *d*) Haec doctrina, non est nostra, sed

Rubricarum, quas Decreta praevenerunt. Hae enim docent tunc Missam de requie solemniter celebrari, quando celebratur **sub ritu qui duplici respondeat** (*Rubr. Gen. Miss. Tit. V, n. 3*). *c*) Ergo quaevis Missa de requie, sit cum sacris Ministris, sit tantum cantata sine illis, sit etiam lecta, esse potest solemnis et unicam habere debet Orationem; et potest esse sine solemnitate et plures per consequens Orationes admittere. Solemnis est, aut censetur, si ritui duplici respondeat: non est solemnis, si respondeat ritui inferiori.

Nunc inquires: Quaenam Missa de requie ritui duplici respondet? Facilis petitio, faciliusque responsum: Lege Rubricam Missalis; et habebis: « Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus (de requie) quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus tertio, septimo, trigesimo et die Anniversario alicuius defuncti, nec non quandocumque pro defunctis solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis (*Tit. V, n. 3*) ». Ergo quaevis Missa, sive cantata, sive ritu permittente lecta, quae abetur in praefatis diebus enumeratis a Rubrica, cum unicam habere debeat Orationem, ritui duplici respondit.

Concludimus normam certam assignando pro iudicanda quacumque Missa de requie, vel solemni vel non solemni. Sequens est: Pone, quaeso, ante Missam quam dicturus vel cantaturus es, sive cum Ministris sacris sive absque illis, dicendum esse tibi officium relativum defunctorum, prout in Rubricis. Quaero: sub quo ritu officium istud faceres? Certe aut sub ritu duplici aut sub ritu semiduplici. Si primum, Missa ritui duplici respondet, et unicam habere debet Orationem: si alterum, Missa ritui semiduplici respondet, et plures Orationes habere debet. Haec veritas.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro America Septentrionali* (*Roffa*). Inter se non conveniunt auctores, circa modum Missalis clausi relinquendi post ultimum Missae Evangelium, ita ut folia vel cornu Evangelii respiciant vel Epistolae, eo quod negotium nulla lege praescribitur, proindeque unusquisque abundat in sensu suo. Aliunde res adeo levis ponderis est, ut vix aliquid ad uniformitatem conferat. Eapropter adm. Rev. Consulens clausum reliquat uti melius credit, nullique legi adversabitur.

II. *Pro eodem loco.* Canonici aspersionem aquae lustralis stantes recipiunt, sicuti alii omnes : « Qui omnes (*videlicet cuncti chorales*), ait Caeremoniale Episcoporum, stare debent, detecto capite (*Lib. II, Cap. 31, n. 4*) ». Vapelhorst de ministris loquitur, qui genuflexi manent, quod et de Herdt docet (*Prax. Liturg. Tom. III, n. 133*).

III. *Pro eod. loco.* 1. Circa scamna sacrorum ministrorum in Missa nos legis verba ac spiritum retulimus: quod si aliquantulum seu vix Ecclesia aliqua a verbis legis recedit, servans spiritum; non esse interloquendum arbitramur. 2. Rubrica Missalis etiam populum respicit adstantem Missae circa modum assistendi ; vultque ut semper stet genibus flexis, Evangelio excepto. Sed lex ista, non adeo gravis censenda, ut fideles censura sint digni, si ad Symbolum stantes maneant. 3. Decretum *Briocen.* n. **3029** (5208), ad 12, verba responsi mutavit, non sensum, credimus. Vid. Ephemer. 1893 (*Duplicis quaestionis examinatio*), pag. 16 et seq. Huic Decreto standum est, non antiquo; quia non hoc, be-

ne illud sua perspicuitate elucet. 4. Benedictio gulae in festo S. Blasii agenda est cum stola coloris rubri, quem fert S. Martyr, etsi aliud ea die officium recolatur.

IV. *Pro Hollandia.* 1. Episcopus Canonicus, cum ad Canonicorum Collegium pertinet, non dispensatur a muniis implendis Canonicorum propriis: cum tamen et praestantiori dignitate sit praedictus, huic consulere debet. Hinc « In Missis de turno abstineat, et subroget alium..., in solemnioribus, cum indumentis Pontificalibus *(celebret)* de licentia Ordinarii (*Mediolanen 16 Mart. 1833, n.* **2706** (4709), *ad 3)* ».

2. Circuli per Canonicos Episcopo proprio fieri debent quoties ipse *praesens est Missae per alterum cantatae, sive diebus festis sive ferialibus, numquam autem quando ipsemet... celebrat.* Ita Caerem. Episcoporum (*Lib. I, cap. 21, n. 171*). Ad hos circulos tenetur quoque Episcopus Titularis Canonicus *(Asculana 10 Apr. 1728, n.* **2283** (3976) *ad 2*).

3. « Si Episcopus, aut mozzetta solum indutus, aut incepto iam officio quandoque venerit, vel eodem officio nondum absoluto discedere voluerit, duos vel quatuor Dignitates aut Canonicos teneri illum ad ianuam tantum Ecclesiae excipere ; et discedentem saltem extra eiusdem Ecclesiae portam associare, ut in chorum redeant Horas Canonicas prosecuturi. Si tamen discedere voluerit Episcopus cum aliqua officii pars absoluta fuerit, omnes dignitates et Canonici id honoris eidem Episcopo praestabunt (*Decr. Gen. 22 Maii 1894, III, num.* **3828**) ».

V. *Pro Gallia.* Ut hymni in officio debeant et possint uniri, requiritur non solum identitas metri, sed etiam ut sint historici; hoc autem certe in hymnis Sacrae Familiae non habetur, nisi latiori quodam sensu, qui eorum coniunctionem non sinit.

VI. *Pro Corleone.* 1. Canonicus Ecclesiae Collegiatae

in Oratorio publico, cuius est Rector, Missam facere tenetur iuxta Calendarium eiusdem Oratorii, ac proinde non potest ibi Missam facere de Titulo Ecclesiae suae, nisi Oratorii Calendarium illius festum recenset, et sub ritu, quo fit in Oratorio, non in Ecclesia.

2. Praescripta contra Ritus et Caeremonias, aperte Rubricis opposita, nullam vim habent: Episcopus loci curare debet ut Rubricae serventur.

3. Ad versus *Ora pro nobis* in precibus post Missam imperatis addi non debet *Alleluia*, sicuti neque ubicumque reperiatur in aliis precibus.

4. Formulae Sanning sunt vetitae: nonne possunt in casu dici Orationes Missalis: *Ad te nos Domine clamantes exaudi — A domo tua — Quaesumus omnipotens Deus clementiam tuam* etc.? Pro impediendo autem vento nulla aptior Oratio, quam tertia quae invenitur in Rituali Romano, pro Processione ad repellendas tempestates, *Domine Iesu* etc.

5. Officium Maternitatis Deiparae dictum est transferri non posse, quia est locale ad instar mobilis.

6. Principium est certum: Ecclesia regularis Communitatis ius habet sequendi Calendarium proprium, cui exteri Sacerdotes conformare se debent. Electa Regularium Communitate, esto iniuste, ratio eiusdem Calendarii sequendi cessat. Si unus Regularis uti Cappellanus remansit, aut illam Ecclesiam regit uti Regularis, seu nomine Communitatis, ad quam adhuc Ecclesia pertinet, aut uti individuus Episcopo subiectus: si primum, ius habet sequendi adhuc Calendarium suum in Ecclesia: si alterum, negative, et sequi debet in illa Calendarium dioecesis. Ita distingue, et concordabis, ni fallimur.

VII. *Pro N. N.* 1. Rubrica de signo crucis in benedicenda Mensa silet. Norma haec liturgica est optima: signum crucis fiat iuxta formulam, quae profertur, ut dicens quis

Benedic Domine nos, signet se: dicens *et haec tua dona*, cibos benedicat. Quid rationabilius?

2. Formula *accentus* in tabella pro Missa, debet respondere notis, quae sunt in usu et praescriptioni praesenti: certe congruit ut notae antiquae mutentur, si fieri possit et inserviant, et mutatio nullius est laboris.

3. Rituale parvum Benedicti XIII servandum est pro casu in benedictione et impositione Cinerum: ita ut incipiente distributione, incipiat quoque cantus Antiphonae *Immutemur*. Si in dictae functionis Caeremoniis aliquid fit, quod maiorum Ecclesiarum est proprium, non credimus censura esse notandum, imo, si fieri possit, laude dignum iudicamus; *bonum* enim per *melius* magis perficitur.

4. Nobis non videtur probandus usus decantandi unum Nocturnum cum Laudibus in triduo maioris hebdomadae; quia ritus praescripti servari nequeunt. Nonne melius foret totum officium legere? Ita arbitramur.

5. Diversitas in mutando versu *meruit beatas* in alterum *meruit supremos* vitanda certo est, et Rubrica hoc super negotio servanda. Adeo ut, si festum S. Confessoris die sequenti obitum recitari debeat, et primas Vesperas, saltem a Capitulo, non habeat, dicendus sit *meruit supremos*: die vero obitus, *meruit beatas*. Si quid contrarii in Breviario aliquando appareat, aut error est typographicus, aut ex eo oritur, quod Sanctus aliquis obiit circa vel post meridiem, ut etiam dies obitum sequens liturgice pro die obitus computetur. Id, ni fallimur, in S. Alphonso comprobatur.

6. Quando hymnus *Vexilla Regis prodeunt* dicendus est extra tempus passionis et paschale, nec apta est formula posita in Exaltatione S. Crucis, optime credimus, sumi posse illam, quam recenter protulit Manuale Indulgentiarum, seu « Raccolta di Orazioni etc. » estque: *Gentis redemptae gloria*; est enim approbata, et hymnus cum

eiusmodi mutatione ditatus est peculiari Indulgentia a Summo Pontifice Leone Pp. XIII (*16 Ian. 1886*).

VIII. *Pro Utino.* 1. Non solum in Ecclesiis, sed etiam in Oratoriis, ubi prima feria VI mensis aliquod habetur pium exercitium in honorem SS. Cordis Iesu, dici potest Missa votiva: a fortiori in Seminariis (Decr. **Altero nunc elabente** *28 Iun. 1889*).

2. Clerici dum ad altare perveniunt pro communione agenda, ab eoque recedunt, illa peracta, non duplicem seu maiorem, sed simplicem genuflexionem agere debent, uti communiter fit. Equidem utriusque genu flexionem maxima *per se* commendatione dignam iudicamus, solemniori momento inspecto; hinc et transeuntes ante altare ubi Eucharistia distribuitur, ambo genua flectere praescriptum est. At pro communicantibus cum iam in actu adorationis sint, simplex magis convenire videtur, quae et praescribitur et in consuetudine est universali.

3. Si acolythi proprio officio dant operam dum thuriferarius in solemniori Missa clericis thus adhibet, patientia opus est, et incensationem recipere nequeunt; nec omnino convenit, ut thure clericis chori adhibito, ad acolythos thurificandos redeat thuriferarius, esset enim inversio ordinis.

4. Optimum iudicamus consuetudinem pacis invehere in clericis Missae solemniori assistentibus, vere enim hi chorales sunt, uti admod. Rev. consulens exponit. Quare ergo nec recipiunt, nec dant pacem? Fortasse positio sedilium aliquod ad id affert incommodum; sed facile arbitramur ita sedilia disponere ut incommodum vitetur. Non possumus, quin adhortemur, ut pax et detur et recipiatur; sicque et Caeremoniale Episcoporum servabitur, et clerici rem addiscent ipsorum omnino propriam, seu pro praesenti, seu pro futuro.

IX. *Pro Hollandia.* Missa solemnis (ad consecratio-

nem usque, et ab expleta communione ad finem) celebratur « Sacramento non extante super altari », etsi in tabernaculo Sacramentum asservetur, quod in Missa non consideratur.

Nota. Duo citata Decreta reperire nequivimus, neque in novissima, neque in antiqua Collectione : melius citentur, et in sequenti num. respondebimus.

De ignoto Oratorii publici Titulari a quo et quomodo recolendo

PECULIARIS QUAESTIO

(E GALLIA)

Fere nulla sunt Oratoria publica, praesertim ex antiquioribus, quorum dignoscatur Titularis ; imo, si quem habuerint unquam, nescitur; eo magis quod de Titularis institutione nulla in scriptis fides condita sit, neque proinde servata. Insuper a perturbatione Gallicana saepissime contigit Oratoria ab Ordine ad Ordinem alium transiisse, a viris ad mulieres, vel etiam a Regularibus, post longam Oratorii derelictionem, facta esse Saecularia. Hinc priorem Titularem successu temporum in oblivionem penitus devenisse, ita ut recentiores horum Oratoriorum possessores aut rectores alium Titularem sibi magis arridentem vel notum, aut instituto conformiorem, nonnisi privata sua auctoritate et industria, subrogare interdum non dubitarint.

Unde :

a) Quid impraesentibus agendum iis qui horum Ora-

toriorum servitio rite adscribuntur ? Utrum nihil omnino, uti hactenus, de Titulari vel ignoto vel indebite mutato faciendum ? An potius eis procurandum venit ut Oratorium respectivum rite benedicatur, sicque Titularis indubie constituatur ubi nullum unquam fuisse legitime suspicatur, vel novus designetur ubi antiquus derelictus est aut oblitus ?

Verum adest quasi strictior difficultatis nodus.

b) Haud rarum est, ultra Ecclesiam parochialem, exstare in eodem territorio et Oratorium publicum seu semipublicum cum uno et solo Parocho utrique inserviente. Posita benedictione Oratorii debita, utrum Parochus amborum Titularium (scil. Ecclesiae parochialis et Oratorii) Officium sub ritu dupl. 1 cl. cum octava, necnon commemoratione in Suffragiis agere tenetur ?

c) Vicarii ad paroecias respectivas ab Ordinario cum Litteris valde generalibus deputantur: v. g... « ad Sacra« menta conferenda, verbum divinum annuntiandum, « Confessiones excipiendas, aliaque sacri ministerii munia « obeunda ». Deinde Parochus unusquisque alii aliud in specie munus, pro rerum adiunctis et ad nutum assignat: v. g. Titio servitium Oratorii publici in Oppiduli Nosocomio existentis; Flavio autem Oratorii semipublici ad Communitatem piam pertinentis. Posita iterum hic et illic liturgica benedictione, utrum Titius et Flavius haberi possunt tamquam relativo Oratorio suo canonice addicti ? Utrum ipsi a Titulari Ecclesiae parochialis, et vice versa Parochus a Titularibus amborum Oratoriorum colendis et commemorandis immunes sint ? An potius et Parochus et Vicarii eius trium Titularium festa et commemorationes individue agere debeant ?

d) Denique, inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis, ad chorum, exceptis tamen vi indulti Matutino, Laudibus et Prima, de more obligatos, plures etiam servitio

Oratorii funguntur, vel quia impar est clerus numero, vel ut emolumentis eorum fiat satis. Ad quid unusquisque tenetur, relate ad Oratorii sui Titularem?

Resp. Difficilia intellectu, quantum nobis videtur, asseruntur in casu proposito. Etenim lex de Oratoriis publicis benedicendis, et quidem solemniter, antiquissima est; agitur namque de profano loco ad cultum sacrum perpetuo destinando, et eiusmodi destinatio fieri alio modo nequit, quam saltem, per solemnem benedictionem. Nunc autem in hac benedictione, etiam a formula quae prostat in Rituali Romano, abstractione facta, prorsus incredibile videtur Titularem Oratorii minime constitui.

Quo posito, aliqua picta tabula, vel in altaris pariete depicta, vel saltem super altari collocata quomodo supponi nequiret? Cuius autem imago ista esse, nisi Titularis potuisset? Data ergo sit oblivioni institutio Titularis, quae nullo sit scripto mandata, transierit Oratorium ab uno in alium Ordinem, a viris quoque ad mulieres, a Regularibus ad Saeculares, vix datur intelligi, nullum remansisse Titularis antiqui vestigium, sive ex imagine Sancti vel Mysterii, in cuius honorem Deo dicatum fuit Oratorium, sive ex fidelis populi traditione.

Cum nihilominus discuti facta nequeant, et aliunde perlonga Oratorii derelictio totalem oblivionem, de qua agimus, revera gignere potuerit, deveniamus ad Dubia. Arbitrium enim Rectorum in aliquo statuendo Titulari, qui magis arrideat, ne considerare quidem opportunum credimus.

a) Decretum Generale (**4025**) **super festo Titularium in Ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando** indubie vim habet; ergo servandum est. Hinc « relativi Titularis festum... a Sacerdote Rectore... publico Oratorio addicto, per integrum officium celebrabitur: secus, in defectu cuiusvis cleri, per solas Missas iuxta Rubricas (*IV*). » Eapropter

respuendam esse censeamus illam primam huiusce Dubii partem, quae est: *nihil omnino, uti hactenus de Titulari, ignoto... faciendum.* Etenim hoc non solum legi opponitur, quam mox retulimus, sed et recto sensui liturgico plane adversatur. Legi opponitur, non solum praesenti, sed et antiquae; quia supponi nequit Titularem Oratorii publici, quod fere in omnibus aequiparatur Ecclesiae, nullo debeat recoli speciali cultu liturgico. Nescimus quidem unde factum istud ortum habere potuerit, nisi forte ex minus recta Rubricae Missalis interpretatione, dicentis (*Tit. X*), Symbolum dicendum esse in festo Patroni alicuius loci, vel Tituli Ecclesiae (**non autem cappellae** vel altaris), ac si pro Cappella etiam Oratorium publicum intelligendum esset. Hinc quod Rubrica de Symbolo dixit, ad officium transferri etiam potuit. Quidquid sit, cum die 13 Februarii. an 1895 in Conventu Academiae Liturgicae Romanae, praesente Emo Praeside Card. Parocchi, Moderator dixisset, in quibusdam Oratoriis indubie publicis non celebrari a Rectoribus ex consuetudine festum Titularis, quod se obligatos non iudicarent, dictus Emus Praeses respondit: **factum non probat ius, et festum Titularis Oratorii publici celebrandum est,** cum ad illud Rectores teneantur. Eapropter, re matura perpensa, S. R. C. necessarium censuit negotium istud explicite declarare, quod et per Decretum Generale supercitatum et ex parte relatum perfecit.

Recto quoque sensui liturgico plane adversatur. Etenim nonne Oratorio publico verus assignatur Titularis in actu, vel consecrationis vel solemnis benedictionis illius? Si Ecclesia aliqua vel consecretur vel benedicatur, nonne ius habet ut Titularis festum in ea celebretur? Iam nunc quodnam est discrimen inter Ecclesiam et Oratorium publicum, quod Titularem attinet? Nullum citra controversiam; ergo sicut Ecclesiae, ita Oratorii publici festum titulare celebrandum est, ratio enim utriusque celebrationis

eadem prorsus est. Secus, Sanctus vel Mysterium, in cuius honorem Deo dicantur Ecclesiae et Oratoria publica, sine hoc peculiari cultu liturgico perpetuo manerent, quod nefas est. Hinc Cavalerius optime hac super re disserit, inquiens: « Si sermo sit de Cappellis, prout eorumdem nomine veniunt Sacella, Oratoria vel Ecclesiolae, in quibus Missa celebratur, quemadmodum in Decreto XV praecedentis Capituli diximus, eorumdem Dedicationis festum, si consecratae fuerint, celebrandum esse a Clero illius Ecclesiae, a qua plenarie dependent, et subsunt, ita nec dubitamus earumdem Titulum . . . cum Officio et Missa sub ritu duplici primae classis et cum octava excoli debere, tametsi non sint consecratae, sed solummodo benedictae, cum ad festivitatem de Titulo inducendum . . . . consecratio non requiratur, sed benedictio tantum. Quod si nec Titulus beneficii est, nec alteri Ecclesiae, quae Clerum habeat, adnexa, adhuc poterit, imo debebit in festo et per octavam Sancti Titularis, non quidem officium, cum non sit qui illud recitare valeat, sed Missa sub ritu per Rubricas de Titulari Ecclesiae praescripto celebrari etc. Ratio autem horum omnium est, quia praefatae Cappellae publicae veniunt nomine Ecclesiae, ut docent Guyetus etc. etc. (Lib. I, Cap. I, Decr. III, in Ord. XXV, n. XXII) ». De Titulari autem indebite mutato silemus, quia Titularis dicitur, sed Titularis non est, ut de eo fieri nec debeat nec possit.

Amplectenda itaque superest affirmativa sententia alterius partis dubii inquirentis: an curandum ut dicta Oratoria benedicantur, ubi de antiquo memoria non extet. Etenim de Sacramentalibus agitur, quorum iteratio, data legitima causa, optime fieri potest: ut nil dicamus ab admod. Rev. Consulente admitti quoque possibilitatem nullius benedictionis in dictis Oratoriis in antiquitate. Guyetus, hac praesertim in re peritorum facile princeps, quae-

stionem nostram non tangit circa obliterationem Titularis in Ecclesiis, bene tamen agit de Dedicationis alicuius Ecclesiae incertitudine, quae nullis vinci argumentis potest. En autem quid hac super quaestione doceat: « Porro in eiusmodi dubio, an aliqua Ecclesia sit consecrata, necne? statuit Ius, eam absque ulla dubitatione esse consecrandam. *Can.* Solemnitates Ecclesiarum, et *Can.* Ecclesiae *De Consecr.* Dist. 1. et ita iudicant Panormit. *in cap.* Proposuisti *de Consecr. Ecclesiae vel altaris.* Silvester *verb.* Consecratio, *n. 4*, Azor. *prim. part. Lib. 10, cap. 26, p. 12.* et rationem affert Glossa *ibidem:* **quod non apparet, dicitur non esse.** *D. de contrahenda empt.* quo uno responso exscinditur radicitus quaestio proposita (*Lib. I, Cap. III, quaest. 6 in fin.*) ».

Nunc autem animadvertimus, maiorem esse gravitatem iterationis Dedicationis Ecclesiae, quam iterationem benedictionis, uti patet ex maiori rituum excellentia, quos illa prae ista complectitur. Si ergo, posita Dedicationis incertitudine, illa iteranda est, a fortiori in incertitudine benedictionis, haec repetenda. Qua posita, quaevis de Titulo controversia funditus evertitur, cum enim Titulus antiquus, aut non fuit, quia benedictum Oratorium non fuit, et tunc omnia rite procedunt: aut antiquus Titulus extitit, sed in oblivionem adeo ivit, ut nemo illum memoret, quamvis Oratorium benedictum supponi debeat, et tunc novus ex necessitate Titulus assignabitur in benedictionis iteratione. Haec nobis videtur rectior propositi huiusce dubii solutio.

Nihilominus obiici posset, satis videri incongruum iterum Oratorium benedicere solemniter; esset enim locum, qui seu quod esse potuit benedictus, seu quod per cultus exercitium iam factus est sacer, iterum sacrare, seu iterum in sacrum redigere locum, qui profanus non est.

Reponimus: Si quis haec admittat, alius nobis non

suppetit modus solvendi quaestionem, si superius allata momenta non sufficiunt, quam consilio adm. Rev. consulentem iuvare, ut solutionem authenticam exquirat a competenti Auctoritate.

b) Praemittimus, nullam fieri posse quaestionem de Oratorio semipublico, quia Decretum Generale, de quo superius, loquens tantum de publicis, et semipublica Oratoria silens, haec prorsus intendit excludere a lege celebrandi illorum Titularia festa, eorumque consequenter suffragia. Quaestionis ergo obiectum non semipublicum, sed publicum tantummodo Oratorium respicit; et quaeritur, an Parochus unius Ecclesiae principalis, et Oratorio quoque publico inserviens, teneatur ad festum utriusque Titularis, nempe Ecclesiae parochialis et Oratorii publici, uti et ad commemorationem in suffragiis.

Resp. Teneri Parochum ad festum et suffragium Tituli Ecclesiae suae parochialis adeo certum ponimus, ut ne aliquid quidem de hoc dicamus oporteat. Quaestio igitur unica tangit festum Tituli Oratorii, illiusque suffragium. Super quo notabimus primo, adm. Rev. Consulentem dicere, Parochum in casu *utrique Ecclesiae inservire*. Te *inservire* duplici pollet sensu; significat enim et *simpliciter inservire*, ita ut aliquis nullo sit titulo canonico alicui Ecclesiae addictus, cui tamen inservit, puta ex devotione, ex favore aliquibus praestando, ex hortatione aut desiderio vel etiam ex commissione Episcopi proprii. Sed et significat alicui Ecclesiae *inservire ex obligatione*, quae derivet ex canonica institutione, adeo ut vere et proprie eidem sit addictus, vocetur sitque de iure Ecclesiae, cui inservit, destinatus Rector. In prima hypothesi Parochus praedictus ad festum et Suffragium Tituli Oratorii nulla ratione tenetur; sed tantum die festo Titularis eiusdem dicat, si possit, Missam aliasque permittat eiusdem festi, ut in suprarelato numero Decreti Generalis dictum est.

Diximus *si possit*; quia posset accidere, ut tali die Missam teneatur facere imo et applicare in sua Ecclesia parochiali, quae principalis ipsi est, ob quam, in Oratorio, quod minus principalem constituit Ecclesiam, Missam facere impediatur.

In altera hypothesi, aut Parochus iste obligatur ad chorum, aut non. Si primum, die festo Tituli Oratorii sui illud celebrabit sub ritu duplici 1. classis, suumque officium relinquet, utpote minus principale in casu, Missamque faciet, aliasque permittet in eodem Oratorio, respondentem officio. Nihilque aliud aget: non commemorationem octavae, nec in suffragiis, tenetur enim ad uniformitatem in choro; neque diei octavae celebrabit officium, praevalet enim chorale. Si alterum, Parochus praedictus festum titulare Oratorii celebrabit sub ritu Titularis proprio et quidem cum octava, cuius commemorationem aget per octavam integram, et etiam in Suffragiis. Alius nobis modus non suppetit casum propositum resolvendi, qui et legi simul, locorumque adiunctis respondeat.

c) Pro responso ad praesens Dubium notamus primo, Vicarios in casu teneri certo ad Titulum parochialis Ecclesiae celebrandum; deputatio enim legitimae Auctoritatis *ad Sacramenta conferenda, divinum verbum annuntiandum, confessiones excipiendas, aliaque munia obeunda* in determinata Ecclesia . . . plusquam sufficiens est ad demonstrandum eos esse vere ac stricte illi Ecclesiae addictos, quod et per authenticas Literas competentis auctoritatis ostenditur: modo accedat canonica institutio, aut talis ut fictione iuris censeatur canonica. Notamus secundo, Parochum posse quidem haec vel illa munera exercenda Vicario suo assignare, v. g. *Titio servitium Oratorii publici in Oppiduli Nosocomio existentis, Flavio autem Oratorii semipublici ad piam Communitatem pertinentis.* Verumtamen Vicarius iure instituendi canonice Rectores

in Ecclesiis aut Oratoriis destituitur, cum id soli spectet Episcopo loci : assignatio proinde munerum exercendorum ex parte Vicarii non constituit canonicam institutionem Rectoris Oratorii. Consequenter ex eiusmodi assignatione vel deputatione non sequitur, designatos ad ea munera Sacerdotes evadere Rectores canonice institutos. Ergo ad festum agendum aut commemorandum Titularis Oratorii, pro cuius implendis muniis sunt designati, non tenentur, quamvis Oratorium publicum sit et solemniter benedictum. Quod vero Oratorium spectat semipublicum, recole quae superius diximus (*Lit. b*).

Itaque, si Oratorium publicum Rectorem habeat canonice institutum, hic ad illius Titularis festum tenebitur, uti ad illius commemorationem in suffragiis : secus, festum per solas Missas celebrabitur, uti alibi exposuimus (*Lit. b sub fine*). Imo neque ad festum idem eamdemque commemorationem tenebitur Vicarius, nisi ipsemet sit, uti Parocciae, ita et Oratorii canonice institutus Rector.

d) Canonicus, qui praestare servitium suum debet Cathedrali Ecclesiae, si Rector quoque alicuius publici Oratorii sit institutus, ea ratione se geret, qua diximus se gerere debere Parochum choro addictum (*V. Litt. b circ. fin.*).

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Iunio 1900.

PROPOSITIO.

Quando ante Sacramentum, vel asservatum in Tabernaculo, vel solemniter expositum, genuflectendum est eodemque in loco *manendum*, necesse ne est unicum genu flectere, et se in statu genuflexionis ponere in primo casu, utrumque genu flectere caput

inclinando in altero casu, surgere, et deinde ut supra in statu genuflexionis se ponere? An sufficit se in statu genuflexionis ponere in utroque casu, cum capitis inclinatione in altero, quin prius genu vel genua flecti debeant et surgere?

SOLUTIO (1).

Primo intuitu, diceres unam fore planam et simplicem responsionem; sed contra, maturius inspiciendo quid per ly *in eodem loco manere* sit audiendum, statim apparet quod variari debeat iuxta praelaudatae dictionis significationem, ut saltem mihi videtur.

Dicta siquidem verba, si in quacumque hypothesi excludant omnem mutationem loci *ex parte personae*, non eamdem semper supponunt stabilitatem *ex parte adgeniculationis* comparative ad locum ipsius genuflexionis. Et de facto, qui genuflectit, quin ullo modo mutet locum, nunc se adgeniculat in gradu infimo Altaris, quamvis prius debuerit genuflexionem facere in plano, et nunc se adgeniculat in ipso loco, quo assignatur genuflexio per Rubricas. Unde diversa responsio.

Responsio prima. — Quando quis ante Sacramentum, sive asservatum in Tabernaculo, sive solemniter expositum, genuflectere et in eodem loco manere debet, *ita ut locus genuflexionis et adgeniculationis sit identice idem*, tunc sufficit ponere se in statu genuflexionis, prout convenit in utroque casu, quin unquam, prius genu vel genibus flexis, deinceps surgat ad se in statu adgeniculationis consistendum.

Hinc 1°, quod ad Sacramentum solemniter expositum pertinet, genuflexio utroque genu est facienda cum capitis inclinatione (2), deinde erecto capite, *quin ipse surgat*, permanet adgeniculatus ibidem in casu. Testis est Rubrica Missalis pro altero, si placet, sed simili aut aequivalenti casu: « Si ante Altare (celebrans

(1) Praeter eam quam vulgandam selegimus, solutionem ad nos dederunt cl. I. Borghols ab Amstelodamo et Agapitus Agapito ab Albona: qui in summa conveniunt pariter cum cl. Fourneret, et veritatem, quantum videmus, assequuntur.

(2) S. R. C. 7 Maii 1746, n. 289 ad 4 (4181).

transeat), ubi celebretur Missa, *in qua elevatur*, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret, *nec ante surgat, quam celebrans deposuerit calicem super Corporale* (1).

Hinc 2°, coram Sacramento in Tabernaculo asservato, genuflectere debet unico genu, et *quin surgat*, statim demittitur alterum genu prope dextrum iam demissum usque ad terram, et ita adgeniculatus orat ibidem in casu. Sensus enim liturgicus dictat nihil in cultu esse inutiliter faciendum, sicut et axioma iuris docet: *non bis in idem*. Suppone autem erectionem corporis in casu esse faciendam inter genuflexionem et adgeniculationem, tunc habes erectionem inutilem ad procurandam genuflexionem, ut patet; vel repetitur genuflexio ad adgeniculationem instruendam: quod prohibetur. Ergo in casu sufficit se ponere in casu genuflexionis, demittendo alterum genu, post genuflexionem proprie dictam unico genu factam.

Amplius: quare aliter agendum foret in uno casu, quam in altero? Atqui *coram SS. Sacramento solemniter exposito*, quoties incensatur praefatum Sacramentum, toties utroque genu genuflectit celebrans in suppedaneo seu supremo gradu Altaris (2), et sine nova erectione corporis thus illico offertur Sacramento. Ergo pariter non debet surgere post genuflexionem, si in eodem loco cum mora deprecari adgeniculatus debeat *coram Eucharistia in Tabernaculo asservata*.

Audi deinceps cl. Le Vavasseur (3), in quo habes medullam Liturgistarum: « si l'on est dans le cas de se mettre à genoux au lieu même où l'on doit faire la génuflexion à deux genoux ou bien si l'on est actuellement à genoux au même lieu, sur le pavé, on fait seulement l'inclination qui complète cette génuflexion, quand on s'est mis à genoux, et avant de se relever ». Eamdem declarationem facit quoad genuflexionem unico genu faciendam: « Si l'on est dans le cas de se mettre à genoux au lieu même on l'on doit faire la génuflexion, ou bien si l'on est

(1) Rit. servand. Tit. II, n. 1.
(2) S. R. C. 27 Febr. 1847, n. 2928 ad 5 (5063).
(3) Cérémonial selon le rit Romain, Tom. I. Part. 2, n. 252.

actuellement à genoux au même lieu, sur le pavé, il n'y a, en règle générale, aucune génuflexion à faire, soit avant de se mettre à genoux, soit après s'etre relevé » (1). De Herdt, qui non est ei secundus, hanc quoque tenet et propugnat doctrinam (2), et itaque, si quis exciperet ab hac regula ministros inferiores, hoc esset tantum ad uniformitatem obtinendam ratione concomitantiae, quando Celebrans et sacri Ministri surgunt ad genuflectendum utroque genu in gradu altaris, dum alii debeant genuflectere in plano, ut videbimus infra.

Responsio secunda. — Quando quis ante SSmum, sive in Tabernaculo clausum, sive patenter expositum, genuflectere et in eodem loco manere debet, *ita tamen ut locus genuflexionis non identificetur cum loco adgeniculationis*, tunc necesse est genuflectere prius modo debito iuxta Rubricas, id est unico vel utroque genu, prout casus exigit, deinde surgere, et postea se ponere in statu genuflexionis, qui tunc proprie vocatur adgeniculatio.

Sit in testimonium Caeremoniale Episcop.: « Episcopus..... si sit *ante SS. Sacramentum etiam clausum in Tabernaculo*..... facta genuflexione usque ad terram, ante ipsum SS. Sacramentum genuflectet iterum super pulvino ibidem parato in genuflexorio » (3), id est genuflectit, *surgit*, et deinde se adgeniculat in genuflexorio, quia nova genuflexio non intelligitur nisi per erectionem corporis separantem unam ab altera. Item « *existente SS. Sacramento super Altare* (quod feria V in Coena Domini, et feria VI in Parasceve, et in Missa quae celebratur in festo SS. Corporis Christi, vel enim exponitur Oratio quadraginta Horarum, ante processionem evenire solet)... ante SS. Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio vel genuflexorio ibidem praeparato orabit » (4), id est ut supra, genuflectet, *surget*, et deinde se adgeniculans super

(1) ibid. n. 259.
(2) Sacrae Liturg. Praxis, Tom. I, n. 115.
(3) Caer. Epis. lib. I, cap. 2, n. 5.
(4) ibid. lib. I, cap. 12, n. 9.

pulvino orabit, cum absque corporis erectione impossibilis evaderet altera genuflexio, ut patet.

Gardellini in suis commentariis super Instructione Clementina non aliter sentit. Loquens de Processione Corporis Christi facienda, expleta Missa, indutoque Pluviali post depositionem Casulae Celebrantis, ait: « Imposito thure, Celebrans, iunctis manibus, demissis oculis, aperto capite, medius inter sacros ministros elevantes hinc inde fimbrias Pluvialis, revertitur per planum Presbyterii ad Altare, et ante infimum gradum omnes genuflectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione: mox *surgunt*; iterumque genuflectunt non in plano, sed in infimo gradu Altaris » (1). Item loquens de Processione agenda post Missam pro repositione Sacramenti, fere iisdem utitur verbis de Celebrante et Sacris Ministris redeuntibus e scamno per planum Presbyterii ad Altare: « Tam ipse quam Sacri Ministri utroque poplite cum profunda reverentia genuflectunt, mox *surgunt*, et sine capitis inclinatione genuflectunt in infimo gradu Altaris, ibique permanent, donec absolvantur preces » (2).

Martinucci, *De expositione pro 40 horarum Oratione* (3), supponens Celebrantem redire ad Altare, finita Missa, cum ministris sustinentibus fimbrias Pluvialis, declarat: « Ante altare procedet, ibique genuflexionem utroque genu faciet in pavimento, deinde *assurget*, et cum iis in gradu infimo geniculabit ». *Pro feria V in Coena Domini*, item finita Missa: « Ubi Celebrans indutus erit Pluviali, inquit (4), procedet ante Altare cum ministris fimbrias Pluvialis eius sustinentibus, et in plano ante infimum gradum genuflectent utroque genu ad Sacramentum, deinde *consurgent*, et in gradu infimo geniculabunt ». Eadem fere verba adhibet adhuc pro paroeciis ruralibus, et celebrante Episcopo tam in festo Corporis Christi quam in Coena Domini, nec unquam negligit notare erectionem corporis post primam genuflexionem in pavimento, antequam Celebrans, quicumque sit, geniculet in infimo gradu (5).

(1) Gardellini § 19, n. 11 in fine.
(2) ibid. § 30, n. 20 in fine.
(3) Manuale Sacr. Caerem. lib. 2, cap. 38, n. 54.
(4) ibid. lib. 2, cap. 25, n. 42.
(5) ibid. lib. 3, cap. 4, n. 50; lib. 5, cap. 14, n. 165; lib. 6, cap. 34, n. 88.

Pourbaix, describens ingressum ad Altare pro expositione SSmi facienda: « Cum pervenerint ad Altare, ait (1), Celebrans et assistens aut assistentes.... flectunt unum genu in plano (ob Sacramentum in Tabernaculo clausum) deinde utrumque genu in infimo gradu Altaris, ibique aliquantisper orant »: quod aequivalenter docet erectionem corporis locum habere inter primam genuflexionem et adgeniculationem. Sutor *De ritu exponendi SSmum* non ullum reliquit dubium: « Cum pervenerit ad Altare Sacerdos, biretum tradit Ministro, omnes genuflectunt unico genu in plano. Mox *surgens* genuflectit utroque genu in infimo gradu Altaris, et reliqui in plano, ibique tantisper orat » (2).

Denique Le Vavasseur et De Herdt, iam in testimonium vocati ad propugnandam primam responsionem, non parum auctoritatis adiiciunt huic ultimae doctrinae nunc propositae. « Si, en arrivant à l'Autel, inquit prior, on doit se mettre à genoux sur le plus bas degré, il faut faire d'abord la génuflexion: et l'on fait de même après s'être relevé, s'il faut quitter l'Autel » (3). Quod ostendit in praxim deductum in Parasceve ante SS. Hostiam publice expositam (4), sive agatur de Celebrante, sive de Subdiacono et Diacono, quos omnes expresse vult *surgere* post genuflexionem in plano, antequam geniculent in infimo gradu Altaris, se commendando de Memoriale Rituum a Benedicto XIII edito pro minoribus ecclesiis. « Cum pervenerint ad Altare, Sacerdos et assistens, ait posterior relate ad ritum exponendi SSmum (5), bireta tradunt ministro; omnes genuflectunt unico genu in plano...; mox *surgentes* genuflectunt utroque genu Sacerdos et assistens in infimo gradu altaris, et reliqui in plano, et ibi aliquantisper orant ». Ad deponendum autem SS. Sacramentum « in accessu ad Altare, genuflectunt utroque genu cum capitis inclinatione in plano; ....post genuflexionem factam mox *surgentes*, utrumque genu flectunt Sacerdos et assistentes in infimo gradu

(1) Compendium Sacrae Liturg. Part. 4, lit. 4, n. 650.
(2) Praxis Liturg. Part. 4, cap. 8, § 4.
(3) Cérémonial, Tom. I, Part. II, n. 252 et 259.
(4) ibid. Tom. 2, Part. XI, n. 252; Part. XIII, n. 1136, 1417, et 1779.
(5) De Herdt, Tom. 2, n. 26.

Altaris, et reliqui in plano, ibique aliquantulum orant » (1). Quod valet, etiamsi in Pyxide patenter sit expositum (2), et similiter pro Hostia in capsula reposita et reservata pro feria VI in Parasceve (3), cum in eodem loco non fiat genuflexio et adgeniculatio.

Forsan tamen Ministri minores iuxta De Herdt excipiendi sunt, qui videntur surgere debere ad uniformitatem functionis, quando ipse Celebrans et sacri ministri surgunt ante adgeniculationem in gradu Altaris; sed hoc erit ad maximum ratione concomitantiae, cum revera debeant utroque genu geniculare in plano.

En duplex responsio, quam propono sequendam uti sensui liturgico, auctoribus, et libris liturgicis conformem, salvo tamen meliori iudicio.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Rom.
Parochus loci vulgo dicti Lannes
(dioecesis Lingonensis).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE SEPTEMBRI 1900.

Ad nomen alicuius Sancti, quod pronuntiatur in Missa, si ille octava gaudeat, debetne caput inclinare Celebrans quando Octavae commemoratio omittenda est ratione ritus festi occurrentis, puta dup. II. classis.

(1) De Herdt, Tom. 2, n. 27.
(2) S. R. C. 7 Maii 1746, n. 2880 ad 4 (4181).
(3) De Herdt, Tom. 3, n. 47.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile